

PELLI ad assistendum Choro, si cultus divinus detrimentum patiat; ibid. § 64.

(74. Porro si Coadjutor sive intra Civitatem ægrotet, sive extra, non tenetur Coadjutor assistere Choro, et nihilo secius lucratur distributiones, quæ ipsi omnino debentur, etiam cum iis emolumentis quæ præsentibus accrescunt; ibidem § 65.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(75. Interest, et quidem ad plures effectus, distinguere Distributiones quotidianas a fructibus, quos vocant *Grossos*. Hæc autem statuta est Regula. Si redditus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ, de qua agitur, dividuntur ratione Beneficii, nullo prorsus habito respectu ad servitium, sunt fructus *Grossi*; sin autem dividuntur non Beneficii, sed servitii ratione, et ut diei solet, per *punctos*, seu *punctaturas*, ita ut major, vel minor sit portio uniuscujusque, prout majus, vel minus fuerit præstitum ab ipso servitium, sunt Quotidianæ Distributiones. Ita ex text. in cap. unic. de Cleric. non residen. in 6, tradunt Scharzius in decretal. lib. 3, tit. 4, § 33, n. 33; Cardinal. Petr. in commentar. ad Constitut. Apostol. Constit. 9 Bonifacii VIII, n. 28; Cardinal. de Luca de Canon. discurs. 16, n. 6, et rursus in Adnot. ad Concil. Trident. discurs. 15, num. 8. Alter de Luca in Animadv. ad Gratian. discept. forens. cap. 166, n. 5. Rota in recent. dec. 35, n. 17, part. 10. Et in hac ipsa sententia fuit Sac. Congregatio Concilii interpres in Capuana Spolii 9 Julii 1735.

(76. Adeoque verum est, dictos redditus esse Distributiones Quotidianas, et non fructus *Grossos*, si divisio fiat ratione servitii, ut procedat etiam, si divisio non in singulos dies, sed in fine anni fiat; Rota in recent. d. dec. 135, num. 7, part. 10, cor. Achill. de Grass. dec. 12, fer. per tot. de Præbend. et cor. (77. Cæsar de Grass. dec. unic. n. 8, de Cleric. non residen. et cor. Seraph. dec. 1140, num. 2, tum etiam si proveniant non ex oblationibus anniversariis, aliisque incertis emolumentis, sed ex fructibus Prædiorum; Cardinal. Petr. in Comment. ad Constit. 9 Bonifacii VIII, num. 28; Cardinal. de Luca de canon. discurs. 16, n. 6, et in Adnot. ad Concil. Trident. discurs. 15, n. 8; Rota in recent. dict. dec. 135, n. 7, par. 10.

(78. Regulariter nomine fructuum Beneficii non veniunt Distributiones Quotidianæ, prout veniunt fructus *Grossi*. (79. Limitatur verò hæc Regula concurrente in aliquo casu voluntate Papæ, ut distributiones veniant nomine fructuum Beneficii, eaque vel expressa vel tacita, ut sit in materia quæ latam amittit interpretationem. (80. Cæterum seclusa voluntate Papæ, vel expressa, vel tacita, firma remanet Regula, minimeque distributiones quotidianæ veniunt nomine fructuum Beneficii, præsertim si materia strictam exigat interpretationem; Fagnan. in cap. 16, n. 6, de verb. Signific. Torr. de Pact. futur. succes. lib. 2, cap. 28, num. 60, et sequent. Add. ad decis. 576,

n. 57, et plur. sequent. par. 4, tom. 3. (81. Idque etiamsi Beneficia, de quibus agitur, careant præbendis, redditusque habeant solummodo consistentes in quotidianis distributionibus; Card. Petra in Comment. ad Constit. Apost. Constit. 9 Bonifacii VIII, n. 28. Rota in recent. dec. 135, n. 7, par. 10.

(82. Qua de ratione distributiones quotidianæ non solum non veniunt nomine fructuum Beneficii in Regulis Cancellariæ de valore fructuum exprimendo, ut monet Auctor, n. 7, sed nec in Regula IV. (83. Cancellariæ perpetuo reservante dignitatem Collegiæ, quæ sit principalis, tum redditus excedentes valorem decem florenorum auri de Camera; Cardinal. de Luca de Benefic. discurs. 106, n. 2, et seq. et rursus de Jurapatron. discurs. 69, n. 8. Rigant. in Comment. ad Regul. Cancell. Regul. IV, § 2, n. 9, ubi quod procedat, etiamsi omnes redditus consistent in solis distributionibus; Rot. cor. Haunitz. decis. 26, n. 6.

(84. Spolio, ut de alio diverso effectu quotidianarum distributionum disseramus, haud subjiciuntur distributiones quotidianæ, prout distribuuntur fructus *Grossi*; Marant. Respons. 24, fer. per tot. lib. 3; Ventriglia in prax. For. Eccles. tom. 3. adnot. 16, § 2. num. 21, et admisit Sac. Congregatio Concilii interpres in Capuana Spol. 9 Julii 1735.

(85. An autem quis possit ordinari ad titulum Beneficii, cujus redditus unice consistent in distributionibus quotidianis? Affirmant communiter Barbosa de Potest. Episcop. allegat. 19, num. 24; Marchin. de ordin. tract. 2, part. 6, cap. 6, differ. 5, n. 19; Campanilis in diversor. Jur. Canon. Rub. 8, cap. 5, n. 29; Boss. de Ordin. quoad tit. patr. § 17, n. 139.

ARTICULUS II.

Distributiones quotidianæ a quibus amittantur, seu non acquirantur.

(1. Distributiones non lucrantur Canonici sine legitima causa absentes, quamvis consuetudine sit introductum, ut distributiones absentibus debeantur. Talis enim consuetudo expresse reprobatur a Bonifacio VIII, in e. unic. de Cleric. non residen. in 6. ibi: *Consuetudinem... penitus improbantur*, et ob id sæpius respondit Sac. Congreg. decreto cap. 12, vers. *Distributiones* sess. 24, etiam immemorabilem consuetudinem fuisse sublatam, ut testatur Fagnan. in d. cap. *Licet*, n. 79. (2. Hinc distributiones quotidianæ non debentur Canonico inservienti Episcopo in officio Vicarii etiam pro illis horis, quibus ratione officii Vicariatus non intervenit Choro, etiamsi a tempore immemorabili observatum sit, ut debeantur; Sac. Congr. Conc. in Bitecten. 18 Dec. 1627. (3. Distributiones quotidianas non lucratur Canonici inserviens Episcopo in Missis privatis. Sac. Congregat. Concil. 17 Maii 1619.

(4. Item distributiones non lucrantur Canonici associantes Episcopum volentem quandoque audire Missam in Ecclesia non

Cathedrali Civitatis; Sic Sacra Congreg. Concil. teste Fagn. loc. cit. num. 107, et iterum in Arianen. 17 Maii 1704. (5. Canonici assistentes Episcopo non pontificaliter celebranti non lucrantur distributiones; Eadem Sac. Congregat. teste eod. Fagnan. loc. cit. num. 108. (6. Item non lucrantur distributiones Canonici inservientes Episcopo in Visitatione Diœcesis, aut in Monialibus velandis, aut in examine ordinandorum, et promovendorum ad Beneficia, vel qui Seminario præsent, aut in Congregationibus S. Officii adhibentur; Sic ead. Sac. Cong. ut refert idem ibid. n. 109. Quinimmo, ut ipsemet ibi subjungit, Archiepiscopo Januensi petenti, ut duo Canonici eum comitantes in visitatione Diœcesis possent percipere quotidianas distributiones juxta antiquam illius Ecclesiæ consuetudinem, censuit non concedendum.

(7. Insuper Episcopus Canonici, dum abest ex causa Visitationis suæ Diœcesis, distributiones quotidianas non lucratur; quia Littera d. cap. unic. de Cleric. non residen. in 6. ibi: *Evidens Ecclesiæ utilitas*, intelligitur de utilitate Ecclesiæ particularis, de cujus distributionibus agitur, non autem de utilitate alterius Ecclesiæ particularis, vel Ecclesiæ generalis, ut formaliter inquit Joan. And. in d. c. unic. de Cleric. non residen. in 6, num. 3, vers. *Item intelligendum*: ubi pro hoc allegat cap. *Cum Dilectus*, et cap. *De cætero*, eod. tit. et c. *Licet*, de præbend. et sequitur ibi Petr. de Anchar. n. 4, in 5 notab. et Fagnan. in d. cap. *Licet* num. 160, ubi dicit quod hæc est ratio, cur distributiones non debeantur Canonici existentibus in servitio Papæ, ut est casus in c. *Cum Dilectus* 14, de Cler. non residen. juncta Glossa omnium consensu approbata ibid. in verb. *Fructus*, licet censeantur servire Ecclesiæ universali, ut ibidem dicitur: « Qui circa nos se obsequiales exhibent universis. »

(8. Distributiones quotidianas non lucratur in absentia Canonici Collegiæ Ecclesiæ, dum servit Episcopo Cardinali pro Caudataro; Sac. Cong. Concil. in Viterbien. 12 Apr. 1617. (9. Neque distributiones quotidianæ debentur Canonico Cubiculario ad Bussulam Sanctissimi, et propterea absentia a residentia; Sac. Congr. Conc. in Reatina 13 Nov. 1627. (10. Familiares enim Papæ, qui non obstante Constitutione contraria præbendarum suarum fructus percipiunt in absentia, non percipiunt tamen distributiones quotidianas, ut est casus in d. cap. *Cum dilectus* 14, de Cleric. non resid. juncta Glossa communiter approbata ib. verb. *Fructus*, ut observat, et tenet Fagn. loc. cit. num. 99. (11. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico in publica Universitate docenti, si in Choro non intersit, quamvis omnes redditus in distributionibus quotidianis consistant, Sacra. Congreg. Conc. in Limana 18 Decembr. 1627. (12. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico infirmo, vel alias legitime impedito, quando habet coadjutorem; sed si Coadjutor non

resideat, punctatur tamen ad damnum ipsius Coadjutoris; S. C. Rit. in Colim. 16 Septembr. 1616, et in Patavina 8 Maii 1618, et in Granatensi 4 Apr. 1620. (13. Distributiones non debentur Canonico inquisito, et postea absoluto, si hic haberet Coadjutorem, qui eum de tempore carcerationis, seu contumaciæ Coadjuti inservire debuisset, non inservit; Sac. Congreg. Conc. in Brixiensi 2 Jun. 1696, in qua licet Coadjutor reperiretur absens causa studii, adhuc talis excusatio non fuit admissa, quia hic tenetur inservire durantibus Coadjuti impedimentis, cum Coadjutoria cum futura successione dentur in præmium servitii, et ideo fuit rescriptum: « Distributiones non debentur Canonico Nigrono, reservatis juribus contra Coadjutorem prout de jure. » (14. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico qui fuit Romæ pro negotiis Capituli contra Episcopum; Sac. Cong. Conc. in Avellina 16 April. 1633. (15. Canonici, qui sunt Officiales Tribunalis Inquisitionis, non lucrantur in absentia distributiones quotidianas absque speciali Sedis Apostolicæ Indulto; Sac. Congregat. Concil. in una Mediolanensi 3 Februar. 1635.

(16. Immo neque lucrantur distributiones Canonici ipsi, qui funguntur munere Inquisitoris contra hæreticam pravitatem. Sicuti neque Examinatores Synodales, dum similiter suo munere funguntur; uti neque Canonici, qui voluntarie, non autem ex officio sese Confessionibus audiendis exponunt, ut nuper respondit Sac. Congr. Concil. in Romana Servitii Chori 23 Septembr. 1690; absentes enim his tribus casibus a servitio Chori ex Sententia Sacræ Congregationis distributiones non lucrantur, etiamsi adsit contraria consuetudo in Synodo Diœcesana confirmata; sic refert, et tenet Fagnan. loco cit. n. 104. (17. Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici celebrantes, dum Divina officia recitantur, nisi ad celebrandum compulsi, aut jussi fuerint ab eo, ad quem pertinet; Sac. Congregat. Concil. in Callien. 29 Jul. 1628, in Oriolensi 27 Martii ad responsor. ad 11.

(18. Canonici absentes studiorum causa non lucrantur distributiones quotidianas, textu expresso in cap. *Licet* 32, de præbend. ibi: « Licet vobis direxerimus scripta nostra, ut Magistro N. Eborac. Archidiacono in sacra pagina cupienti studere proventus suos Ecclesiasticos faceretis integre ministrari; Nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quæ tantum residentibus in Ecclesiis, et his qui intersunt horis Canonici, exhibentur, ei tribui faciatis » (19. Hoc tamen ex sententia Sacræ Congregationis locum habet, si Canonicatus habeant fructus a distributionibus distinctos. Secus vero, si redditus omnes in distributionibus consistant, quia tunc studiorum causa absentes lucrantur duas tertias partes illarum, amissa alia tertia, quæ inservientibus accrescit. Idque declaravit habere locum tam in docentibus, quam in studentibus: sic refert, et tenet Fagnan. loco c. n. 97.

(20. Distributiones quotidianæ non debentur interessentibus Congregationib. Capitularibus tempore, quo divina celebrantur; Sac. Congregat. Rit. in Ulixibonen. 17 Novembris 1600. Et iterum, distributiones quotidianas nequaquam lucrantur Canonici Capitulum habentes eo tempore, quo divina officia celebrari debent, pro illis horis, quibus divinis non interfuerunt. Sac. Congreg. Concil. in Oriolen. 27 Maii 1632, in respons. ad 11. (21. Canonici absentes ratione peregrinationis vel devotionis causa assumptæ, non lucrantur distributiones quotidianas. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione refert Fagn. loco cit. n. 19. (22. Canonici habentes privilegium Apostolicum percipiendi fructus Beneficiorum suorum in absentia, non per hoc lucrantur distributiones quotidianas; cap. Licet 32, de præbend. et cap. final. Rescript. in 6. et tradit Covarr. lib. 3 variar. Resol. cap. 12, num. 2 vers. *Quibus adstipulatur*. Fagnan. loco cit. n. 100. (23. Distributiones, quæ dantur Canonici, vel Præbendis propriæ Ecclesiæ, quando aliquas Missas celebrant, non debentur Coadjutoribus; nisi quando celebrant pro ipsis Coadjutis; Sac. Cong. Rit. in Patavina 13 Dec. 1626.

(24. Distributiones quotidianas non lucratur Vicarius Generalis, quando est Canonici, nisi sedeat et incedat cum suo habitu, et in suo loco ordinario, ac si non esset Vicarius; Sac. Congreg. Rit. in Gallipolitana 11 Decembris 1613, in Casalens. 5 Julii 1614, in Comaclen. 4 Jul. 1615, et in Orizana 4 Aprilis 1620. (25. Sic etiam distributiones quotidianas non lucrantur Canonici, sive Dignitates Protonotarii, si Choro intersint cum habitu Protonotarii; Sac. Congreg. Rit. in Asculana Apuliæ 19. Mart. 1610 et 19 Novemb. 1611; in Meliten. 7 Aug. 1621. Et nuper in Spoletana contra Priorem Collegiæ S. Michaelis Terræ Mevanie 9 Julii 1695. qui cum parere Decreto recusasset, et indultum saltem habitum prædictum in Choro deferri posse postularet, causa reposita 17 Decembris ejusdem anni, responsum fuit: Distributiones restituendas esse a die Decreti, et indultum non esse concedendum. (26. Immo facta ex post a Canonici cum Priore concordia, quod posset d. habitu uti in functionibus Ecclesiasticis, solutis tamen annuatim Sacristiæ Scutis quindecim loco admissionis distributionum, et postulata d. concordie approbatione ab eadem Sac. Congreg. die 4 Jul. 1698, referente Cardinali Petruccio fuit responsum: Non esse locum approbationi Concordiæ. (27. Et die 22 Aug. 1722, propositio in ead. Sac. Rit. Cong. per Card. Origum sequenti dubio: An Præposito Cathedralis Burgi S. Sepulcri, qui est Protonotarius Apostolicus, de numero non participantium, liceat sedere in Choro aliisque functionibus Ecclesiasticis incedere cum habitu Prælatitio, nempe Rochetto, et Mantelletta, et sum retinere locum et stallum, reluctans aliis Dignitatibus, et Canonici, responsum fuit, *Affirmative, amissis dis-*

tributionibus quotidianis, cum addito, ut amplius causa non proponeretur.

(28. Canonici, qui evasit surdus, non lucratur distributiones, nisi præsentiam in Choro præstet; Sac. Congreg. Episc. in Thean. 12 Martii 1619. (29. Non sic autem Canonici factus cæcus, quia hic distributiones acquirit, quamvis non intersit Divinis; Sac. Congreg. Concil. 26 Januar. 1616 et 20 Jul. 1619. (30. Canonici dispensatus super ætate ad obtinendum Canoniatum cum Clausula, quod se promoveri faciat, postquam ad legitimam ætatem devenerit, amittit distributiones, si conditionem non curavit adimplere, quamvis Choro inserviat; Sac. Congreg. Conc. in Florentina 12 Jan. 1697. (31. Distributiones a Canonici absentibus amissæ, accrescunt inservientibus, adeo ut ab Episcopo non possint applicari Fabricæ Ecclesiasticæ, aliisve usibus piis; Sac. Cong. Conc. in S. Severini 16 Jul. 1695, et sic in Cathac. 18 Jul. 1690. (32. Nec Canonici, non obstante statuto, consuetudine, aut pactioe contraria, possunt sibi invicem remittere, et condonare distributiones; Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de Reform. et Sac. Cong. ejusdem Conc. in Genuen. 24 Apr. et in Avenion. 25 Sept. 1700.

(33. Non lucrantur distributiones Canonici, quoties absunt a residentia occasione litium concernentium interesse suarum Præbendarum, sine licentia Episcopi, quæ necessaria est, ut respondit Sac. Congreg. Concil. in Cavallicen. 3 Jul. 1677, in qua cum præpositus illius Cathedralis d. licentiam in casu proposito non fuisse necessariam contenderet; reposita causa sub die 18 Septembris ejusdem anni, decretum confirmavit: et sic tenuit Rota p. 1. dec. 609, num. 1. et par. 4. tom. 1, dec. 334, n. 15. (34. Distributiones quotidianæ non debentur Canonici infirmis, aut alio legitimo impedimento detentis, si alias sani, aut non legitime impedimenti non erant soliti inservire; Sacra Congr. Concil. in Asculana 5 Jun. 1706, in respons. ad 7. (35. Potest Episcopus statuere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore Concionis, et quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint; Sacra Congreg. Episcop. in Comens. 16 Maii 1580; in Castellan. et 20 Aug. 1602, et Sac. Congr. Conc. in Nicien. 18. novemb. 1628. Et in Milevitana 9 April. 1707, et Congreg. partic. in Casalens. 11 Martii 1708. Vid. verb. Episcopus, art. 6, num. 8. (36. Non potest tamen Episcopus decernere, ut Canonici in Sacris non constituti, non gaudeant distributionibus; Sacra Congreg. Conc. in Patavina 23 Aug. 1631.

(37. Permitti non debet Capitulo, quod dum pro litibus, vel alia causa vult expensas facere, utatur distributionibus quotidianis, quia id cederet in detrimentum Divini cultus, et Ecclesiastici servitii; Sac. Congr. Episc. in Trojana 16 Maii 1590. (38. Episcopus, et Capitulum non potest amissas dis-

tributiones ob non residentiam remittere, aut condonare illi ipsi, qui eas amisit; Conc. Trid. sess. 24, cap. 12, de Reform. vers. *Distributiones*, ibi: « Distributiones vero, qui statutis horis interfuerint, recipient; Reliqui, quavis collusionione, aut remissione exclusæ, his careant, juxta Bonifacii VIII Decretum, quod incipit *Consuetudinem*, quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus; » Rota par. 4. tom. 2. dec. 1. num. 15. et communiter Doctores cum Barbosa lib. 3 Juris Eccles. univers. cap. 18. num. 91. et seq. (39. Ipse tamen Barbosa loco mox cit. n. 95. asserit, quod poterit Canonici distributiones, quas alter amiserat, sibi jam applicatas, et traditas postea illi ipsi donare, quia nulla collusio potest suspicari, cum donetur id, quod jam amissum est, et per alios perceptum, et pro se citat Gloss. in cap. unic. de Cleric. non resident. verb. *Suas*, et ibi Gemin. in § *Qui vero*, num. 10. Navarr. in Miscellan. 59. de Orat. n. 3 et 5. Azor. lib. 7. cap. 7. q. 10. Monet. de Distribut. par. 2. qu. 3. num. 6. Sanctarell. lib. var. Resol. q. 13. num. 5. Trullench. lib. 1. cap. 8. dub. 16. num. 4. (40. Cavendum est tamen ne hac via detur occasio Clericis absentandi se a Choro sperantibus sibi faciendam esse remissionem, seu etiam restitutionem a suis Canonici amicis, et ita quoque ipse Canonici cogatur saltem ex gratitudine remittere, seu restituere distributiones aliis Canonici in diminutionem cultus Divini, qui quantum fieri potest, est eo magis augendus, juxta cap. *Ex part. 12*. de Constit., ibi: « Nolentes igitur Divini Numinis diminui cultum, sed potius augmentare, » et cap. *Quia per ambitiosum*, de rescript. in 6. ibi: « Minuitur cultus Divinus, quem desideramus augeri, » ut fuit mens Trid. l. c. et Sac. Congregationis ejusdem Concilii Interpretis reiteratis Decretis sub. n. 32 citatis, inhibendo ne Canonici sibi invicem distributiones remittant, et condonent. (41. Distributiones quotidianas amittit juste excommunicatus; cap. *Pastoralis*, § *Verum* de appellat. sicut etiam ipsas amittit juste suspensus, et juste interdictus, ut communiter tenent Doctores cum Barbosa loc. cit. n. 72.

(42. Distributiones amittunt Canonici non psallentes, et canentes in Choro cum aliis, non etiam satisfaciunt, si solum assistant, et intersint horis, et per Capellanos, et alios Beneficiatos psallant, ipsi vero vel ibi, vel domi privatim recitent Horas, quia institutio Canoniatum est, non ut adsint tantum in Choro, sed ut canendo assistant; et ob id eis dantur distributiones; et sic colligitur ex Tridentino sess. 24, cap. 12 de Reformat. ibi: « Omnes vero divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia... Atque in Choro ad psallendum instituto hym-

(1) Cum distributiones non lucrantur Canonici qui Choro quidem intersunt, sed non psallunt cum cæteris, ut declaratum a Benedicto XIV fuit Const. *Cum semper*, quam Auctor num. 54 indicat, non

nis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devotèque laudare. » Et sic censuit Sac. Congr. Conc. Nam proposito dubio: « An Canonici, et alii, qui intersunt divinis officiis satisfaciunt eorum muneri exhibendo suam præsentiam in Choro, etiam quod non content, neque psallant: maxime si allegarent se eo tempore meditari, vel submissa voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel alias pias preces tunc recitare? An vero teneantur præcise alta et consona voce divina officia, et horas Canonicas recitare, cantare et psallere, et aliter non satisfaciunt muneri, et obligationi? » ead. Sac. Congreg. sub die 20 Aprilis 1602, censuit « teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Et sic pro Canonici basilicæ Vaticanæ Articulo diligenter discusso jam fuerat resolutum a Sac. Congr. Concil. 12 Novembr. 1592, ut refert Pignatell. tom. 9, Resolut. 115, n. 16 et 17, advertens id verum esse tam attentò Jure communi, et Concil. Trid. sess. 24, cap. 12, de Reform. quam vigore specialium Constitutionum ejusdem basilicæ. (43. Distributiones quotidianas amittunt dormientes, et confabulantes in Choro, non in totum, sed proportionaliter pro parte correspondente defectibus; Suarez de Reliq. tom. 2, lib. 4, cap. 14, num. 9. Trullench. in Decalog. lib. 1, cap. 8, dub. 3, num. 9. Castropalao tom. 2, disp. 2, punct. 4, n. 2. Diana tract. de Horis Can. resolut. 7. Squillant. de Obligat. Clericor. p. 2, n. 61. Barbosa lib. 3. Jur. Eccl. cap. 18, num. 84. Monet. de Distribut. p. 3, qu. 4, n. 7. Sanchez in Consil. moral. par. 1, lib. 2, dub. 10. Machad. ad lib. 4, pag. 4, tract. 3, document. 5, n. 20, qui dicunt Canonicos notabiliter confabulantes in Choro peccare mortaliter, non tamen teneri ad restitutionem (1) restitutionem. (44. Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici, quando non cantant Missam Conventualem, seu Missam de die: Sac. Congr. Rit. in Faventina 25 Jun. 1611 et 28 Januar. 1612, et in Viterbien. 4 Jul. 1615. (45. Canonici, qui perceperunt Distributiones pro tempore quo servitium Ecclesiæ non præstiterunt, tenentur ad illarum restitutionem. Sic expresse Sac. Congr. Conc. in Asculana Servitii Ecclesiæ, et distributionum 5 Junii 1706, in respons. ad 10.

(46. Canonici tempore Divinorum Officiorum Organum pulsans, vel cum Musicis psallens, amittit distributiones quotidianas, si ex ejusmodi munere certum aliquod stipendium obtineat; S. Congr. Conc. in S. Severini 15 Nov. 1669, lib. 21, Decr. pag. 802, in Adjac. 11 Julii 1671, lib. 27, Decr. pag. 144.

(47. Distributiones non lucrantur Canonici Choro interessentes, qui cum cæteris non psallunt; Bened. XIV, tom. 1, Const. 103, incip. *Cum semper*, § 24. (48. Advertendum est, quod ipsas distributiones lu-

equidem Theologis istis assentior, qui « Canonicos notabiliter confabulantes in Choro peccare mortaliter, non tamen teneri ad restitutionem restitutionem, affirmant. » (EDIT. BARBIELL.)

crantur Canonici, et Beneficiati, qui de licentia Ordinarii spiritualia Exercitia peragunt in aliqua pia, seu Regulari Domo, licet pro illis diebus Choro non intersint, dummodo tamen ipsa spiritualia Exercitia non peragant temporibus Adventus, et Quadragesimæ, et in Festis solemnioribus, nec omnes simul, sed eo adhibito modo, ut Chori servitium nequaquam intermittatur. Sic expresse concessit Clemens XI die 1 Februarii 1701, in sua Epistola Encyclica a nobis per extensum allata sub. verb. EXERCITIA SPIRITUALIA n. 2. Vide ibid. (49. Item advertenda est resolutio sequentis dubii propositi in Sacra Cong. Conc. die 1 Februarii 1734. Bosamen. ibi: « An Canonicis Ecclesiæ Cathedralis assistentibus Episcopo Pontificalia exercent, vel in suo Palatio, vel in aliis Ecclesiis suæ Diœcesis, debeant anniversariorum emolumenta, quæ ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentibus; et quatenus negative. An sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti ex gratia in casu, » etc. Sac. Congreg. respondit, *Ad utrumque negative.*

(50. Distributiones non lucratur, etsi fructus Præbendæ lucretur, quamvis absens, Canonicus ille, qui habet Canonicatui suo adnexam, sed extra Civitatem, curam animarum; tenetur enim in parochia residere pro eo tempore quo in parochiali Ecclesia residet, et Sacramenta administrat. Ita laudatus Pontifex Institut. Eccles. 107, § 55, ex Conc. Trid. sess. 24, c. 5, de Refor. addita Bulla 65, S. Pii V.

(51. Canonici qui Episcopo inserviunt, si actu debeant Choro interesse, non semper obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt Pontificaliter celebranti, non vero Episcopo Diœcesim visitanti, vel Missam privatam celebranti; ibid. § 61.

(52. Distributionibus privantur Vicarius Generalis Episcopi, Canonicus Examinator, quique in Tribunali S. Officii munus suum præbet, ministri Camerales, scilicet subcollectores spoliatorum, et decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre a Tridentino concessum. Denique Magistri Juris Canonici, et Sacræ Theologiæ, in publicis Universitatibus docentes; qui tamen si recurrerint ad Sac. Cong. obtinent fructus Præbendæ, et si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum, quod etiam postremum conceditur iis, qui causa studiorum in publicis Universitatibus absunt; ibidem § 72.

(53. Si eo tempore, quo officium persolvuntur in Choro, Capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, Canonici non possunt absentare sese absque subtractione distributionum pro eo tempore, quo absunt, ut ex Decretis Sac. Congr. ib. § 73.

ARTICULUS III.

In quo adducuntur summarie varia decreta ad rem facientia, prout referuntur a D. Ursaya tom. III, part. II, discept. 4, n. 114.

usque ad n. 149. et tom. VIII, part. I, discept. 34, n. 55.

(1. *Dubia Jubilationum* 18 Decemb. 1718, quando disputata fuerunt plura dubia, et per viam regulæ, et legis generalis resoluta, nempe:

(2. I. « An indulgentia sit Jubilatio Canonici, et Beneficiatis, qui spatio 40 annorum Ecclesiæ inservierunt, licet dicti temporis spatio cum debitis licentiis, et indultis abfuerint ab Ecclesiis, vel ex causa infirmitatis, vel ex causa studiorum, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel pro ratione munerum, pro quibus obtinuerunt Indulta abessendi pro diebus, et horis, vel Indulta simpliciter, et absolute abessendi ab Ecclesia durante officio illis commisso. » Quod fuit resolutum cum rescripto: « *Affirmative* quoad abessentes ex causa infirmitatis, cum debitis licentiis, et Indultis, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel cum Indultis abessendi pro diebus, et horis. *Negative* autem quoad abessentes ex causa studiorum, et quoad habentes Indulta abessendi absolute durante officio. »

(3. II. « An indulgentia sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40, sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam Beneficiati in una, et Canonici in alia, nec non illis, qui in una, et eadem Ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tamquam Clerici Beneficiati; partim tamquam Beneficiati, partim tamquam Canonici, vel partim tamquam Coadjutores, et partim tamquam principales Titulares? » Quod fuit resolutum cum rescripto: « *Negative* ad primam partem: *Affirmative* ad secundam. »

(4. III. « An indulgentia sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40, non obstante parvo numero aliorum, qui remanente addicti Ecclesiæ servitio et quis sit parvus numerus inservientium in casu, et ad effectum de quo agitur? » Dabitur resolutio in casibus particularibus.

(5. IV. « An non obstante jubilationis Indulto, jubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patitur? » *Affirmative.*

(6. V. « An non obstante jubilationis Indulto, jubilatus teneatur ad residentiam, licet non teneatur ad interessendum? » *Negative* juxta Decreta.

(7. Hujusmodi autem Decreta de facili erunt sequentia. S. Angeli in Vado 13 April. 1690, in qua resolutum fuit: « Canonico jubilato deberi distributiones, nec ad residentiam localem teneri, » de qua in lib. 40. Decret. fol. 236.

(8. Reatina Distributionum 19 Aprilis 1692. 4 Dubio: « An Canonico jubilato debeantur fallentiæ Canonice absentium, si Choro non intersint? » Responsum fuit: « *Affirmative*, dummodo non obstant Constitutiones particulares, et consuetudo Ecclesiæ, » lib. 42. Decret. fol. 441.

(9. Patavina jubilationis 9 Junii 1714, in qua dictum fuit, « deberi Canonico jubilato distributiones, et eum non esse obligatum

ad residendum, » leg. 64. Decret. fol. 217.

(10. Aquispendii Indulti 1 Aprilis 1719, in qua Dubio I. « An Canonicus Seraphinus vigore indulti Jubilationis, si Choro non intersit, participare debeat de punctaturis, seu fallentiis in casu, » etc. Responsum fuit: « *Affirmative*, et amplius. »

(11. Dub. II. « An idem participare debeat de emolumentis adventitii Anniversariorum, et associationum Cadaverum, si functionibus non intersit in casu, » etc. Responsum fuit: « *Affirmative* ad primam partem, dummodo non obstet voluntas Testatoris, vel dantis. Ad secundam partem *Negative.* »

(12. Novarien. Jubilationis 2 Octobris 1677. « An duo Canonici Jubilati Collegiæ Ecclesiæ Sancti Gaudentii Civitatis Novariæ frui debeant emolumentis Anniversariorum, quæ fiunt intra annum, licet non assistant. » *Affirmative.* Quæ resolutio confirmata fuit die 28 Novembris 1681, cum verbis: « In decisio, quoad Anniversaria fixa, et in quibus non est cautum a Testatoribus, ut intererentes tantum participare deberent, » l. 22. Decret. fol. 44.

(13. Romana Distributionum, 5 Martii 1678, et in Romana Jubilationis 23 Martii 1703, ad dubium: « An Simeoni de Maganinis jubilato debeat emolumentum Processionum, etsi illis non interfuerit: » Responsum fuit *Affirmative*, » lib. 53. Decret. fol. 81.

(14. Romana Jurium Canonicalium 5 Maii 1703. Dubio I. « An Canonico Stradæ, cui ex causa infirmitatis fuit concessum Indultum vacandi a Choro, aliisque officiis divinis, illud etiam suffragari valeat pro Laudemiis, Quindenniis, Capitulis, actibusque capitularibus, Anniversariis, Festivitatibus, Processionibus, ac pro quibusvis functionibus in Ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta cujusvis generis, et speciei, communia nuncupata, ac etiam victualia, et candelas? » Quod fuit resolutum cum Rescripto: « *Affirmative* etiam quoad Laudemia, exceptis Anniversariis aliisque obventibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a testatoribus dispositum, » lib. 53. Decret. fol. 207.

(15. Dubio II. « An eodem Canonico competat pro sua rata parte etiam jus accrescendi eorum distributionum, et communium, quæ ob absentiam, vel vacationem Canonice intererentibus accrescunt, et a qua die supra dicta omnia debeantur in casu, » etc.

(16. « *Affirmative* a die præsentationis Indulti. » Quæ resolutio confirmata fuit die 20 Junii 1705, cum rescripto in dec. et amplius.

(17. Immo eadem die additum fuit aliud dubium sequentis tenoris: « An Canonicus Strada lucrari valeat omnes distributiones, quæ simpliciter appellantur quotidianæ? » Quod pariter resolutum: *Affirmative*, l. 65. decr. fol. 207.

(18. Aquispendii Jubilationis 23. Mart. 1697, in qua proposita fuerunt tria dubia, et resoluta ut infra:

(19. I. « An Canonico Jubilatus teneatur

vel per se, vel per alium ad celebrationem Missæ Conventualis per turnum? » *Negative.*

(20. II. « An itidem teneatur facere depositum tertie partis fructuum Præbendæ pro distributionibus quotidianis, prout faciunt cæteri Canonici? » *Affirmative.*

(21. III. « An possit ipse participare de distributionibus, quas ponunt in Massa cæteri Canonici, tam quoties ipse præsens est in Choro, quam etiam quoties abfuerit? » « *Affirmative* etiam quoad fallentias, nisi obstet statutum, vel consuetudo. »

(22. Bituntina Anniversariorum 1 Jul. 1679. Quando resolutum fuit: « Jubilatum non esse admittendum ad participandum de emolumentis Anniversariorum, » lib. 30. Decr. fol. 208.

(23. Romana distributionum lib. 30. decr. fol. 16. et f. 36. a tergo. Quando fuit resolutum: « Fallentias non deberi Canonico Jubilato, si Choro non intersit. »

(24. Maceraten. Jubilationis 8 Martii 1698. Quando resolutum fuit: « Indultum Jubilationis non sustineri, quando deficit laudabile servitium Ecclesiæ per spatium annorum 40. »

(25. Bononien. Jubilationis 16 Jun. 1696. in qua dictum fuit: « Canonico Jubilato deberi distributiones, non solum relictas Ecclesiæ ante servitium quadragenarium, sed etiam illas, quæ auctæ fuerint durante eodem servitio. » In cujus casu agebatur de distributionibus auctis anno 24 servitii. Quæ resolutio fuit confirmata die 28. Apr. 1697. cum addito, ut amplius causa non proponeretur. De hac resolutione mentionem facit Bertachin. Vot. dec. 13, per tot.

(26. Romana, 12 Decemb. 1699. Quando fuit resolutum, « Indultum Jubilationis deberi Canonico, qui inservivit per annos 40 Ecclesiæ, prius uti Beneficiatus, et deinde uti Canonicus, » lib. 49, decr. fol. 502. Quod non procederet in casu, in quo servitium fuisset prius præstitum in qualitate simplicis Clerici, præcipue si quo reliquo tempore etiam constaret de servitio laudabili præstito; ut revocando Indultum prius concessum resolvit. Sac. Cong. Conc. In Tranen. Jubilationis, 13 Jan. 1703., lib. 53. decr. fol. 12.

(27. Burgi Sancti Domnini Jubilationis, 29 Apr. 1704, l. 54, decr. fol. 182. quando resolutum fuit: « Indultum Jubilationis suffragari non solum pro distributionibus ordinariis, sed etiam extraordinariis. » Quæ debentur a die intimati Indulti, non attentate, desuper per Canonicos promotæ. Ibidem ad dubium secundum.

(28. Quando aliqua concurrat difficultas circa integrum laudabile servitium Ecclesiæ præstitum per annos 40, vel ob Indultum abessendi, vel ex causa infirmitatis, vel ex alio rationabili motivo solet Sac. Congr. Conc. benigne concedere Indultum abessendi ad tempus, ut practicavit in Florentina Jubilationis, 10 Jan. 1711, lib. 61. decr. fol. 12. ubi concessit facultatem abessendi a Choro per triennium, et in Nepesina Jubilationis, 28 Novembr. d. anni 1711, ubi indultum vacandi a triennium.

(29. Abessendi Indultum multoties pro-